



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Prosæ Tomus ...

Conti, Giovanni Battista

Rom, 1704

Prosa XIII. In anniversaria Omnium Sanctorum festiuitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69458](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69458)

PROSA DECIMATERTIA

*In anniversaria Omnium Sanctorum
festivitate.*

ORATIO. *

Habita in Sacello Pontif. ad Alex. VIII.



Arcant aliquando im-
manibus ausis quicū-
que post definitam
Ortodoxæ sententiæ
veritatem, per impia,
& vesana errorum
suorum molimina
ponentes in cælum os suum deturbare
illinc agmina Divorum conatur Pater
Beatissimè . Garriunt aliquid phlæ-
græa illa (quæ, ut in fabulis habetur, bel-
latrix contra superos fuit) improbitate
deterius: nimirum Sanctissimas ani-
mas non jam in cælo beatè vivere,
sed ad extremum usque naturæ rerum
interitum procul à cælo quamdam ve-
lut in caveam detrusas situ, & caligine
involui, obnixè videntes, & præsto-
lantes interea æternum diem, atque
Deum

Hæc Orat. dict fuit à quod. Colleg. Germ. Hung. Alumna

Deum. Tam fæda mendaciorum portenta incurfat hodie, & ad tartara, unde olim erupere, propellit totis Sanctorum agglomeratis ordinibus Ecclesia in terris militans. Hæc etenim in anni dilabentis circuitu lætabundam Heroum jam pridem terrestrium, jam celestium memoriã singillatim instaurat; verum annalibus, fastisque refectis cum adhuc redundare in immensum divitias animadvertat suas, sique, vel plurimas diebus singulis Divorum myriadas recolendas catervatim assumeret, nihilominus pro decorum suorum amplitudine, & numero annum non satis spatiantem inveniat; unam ecce jam diem una omnium pariter celebritate Sanctorum gloriosè oneratam, atque honoratam instituit.

O lectissimos, attamen quos dinumerare nemo possit, Heroas, ò turbas & vulgus plùs quam Dynastarum, & Regum cum Christo regantium in gloria. O copiam, quæ suo splendet ex pretio: ò pretium, quod sua non vilescit, immò affatim grandescit ex copia. Hoc sanè egregium est Ecclesiæ Catholicæ encomium, cui par esse

videatur nihil, & nihil secundum: Ecclesiam scilicet triumphis, ac triumphatoribus suis ritè recensendis tempora, diesque deficere: & solem ipsum adeo liberaliter anni sui orbitam explicare non posse, quin eam Catholicæ solemnitates angustam, atque imparem penitus suorum vocabulis, titulisque fastorum deprehendant.

Sed quid gloriæ hujus extimæ speciem contemplari, mirarique tamdiu aut tantopere insistimus? Intendamus aliquantulum aciem nostram, quoad viatoribus animis licet, in interiora domus Dei, & internoscamus non nihil, quàm magnificè, solidèque religio nostra triumphet in suis. Vates David è cætu suo prælustris, ac prominens ad hanc nos piam indaginem etiam num verbis iis videtur acuere: omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus. Intus proinde indagemus. Proh quam speciosus, quàm gloriosus refulget Apostolorum grex jam non pavidus, nec pusillus! Proh quantum in apicem, in quantum honoris fastigium fundamentum illud, Petra illa consurgit! Excipit juxta, & coronat splendidissimæ gremium

mium faustitatis grandem illum Christianæ legis præconem, mundique Magistrum, quem antea Saulum stravit omnipotens, ut elevaret in Paulum. Juxta & reliqui assident Judices sæculorum clarissimi, qui regni adamantinos postes verbo præpotente committunt, relaxantque. Is porro extat conspicuus valde, atque eximius quem & apostolicum munus, & dilecti Christo ob virgineum candorem prærogativa discipuli, & evangelicæ scriptionis sublimitas quemdam verè Trismegistum commonstrant.

Mirum quantum honestamenti, ac gemmarum lapides sui Stephano, quantum claritudinis, ac fulgoris ignes sui Laurentio pepererunt! Totus ille fidei propugnatorum exercitus, qui quondam per vulnera, mortesque decoras sub hyeme sævientis idololatriæ in palmarum messem venerunt locupletissimam, nunc flagris, eculeis, gladiis, crucibus, cæterisque contumeliarum, ac pænarum nominibus generosè perfuncti suo coram Imperatore in arce securitatis æternæ nobilitantur, & gaudent.

Leo

Leo, & Gregorius Magni, qui suum hoc ipsi cognomen tum suis implevere virtutibus, alios inter complures, quos supremi sacerdotii consecravit Majestas, jam suspiciuntur, atque eminent omnino maximi. Mediolanensis ille, Hipponensis & ille Antistites, cum præfervido Stridonensi, & aliis, quorum sapientiæ monumentis Christiana res adversus oppugnatores suos stat præcella, & præclara; vigilatas lucubrationibus noctes ut abundè nunc uno illo, sed perpetuo, sed lætissimo, sed lucidissimo die repensant!

En populum illorum amplissimum, qui sine tyranno, & carnifice se ipsos quantò innocentiores, tantò innocentius oderunt, cruciarunt, vulnerarunt, quin etiam tantò, & laudabilius, & utiliùs; nunc tandem parta sibi secum per diuturnam sui vexationem triumphali pace fruuntur. En planè cælestis flos ille, en ille nitor est Virginum, quæ sexum quoque vice-re cum sæculo. Imbecillæ quamvis, atque imbelles Virgines quanto tamen in bello quàm fortiter quam
tam

tam de se retulere victoriam!

Jam verò classes inter, que agmina universa honestatus coruscat quinaris Heroum numerus, quibus auctarium quoddam, & tanquam parergon gloriæ dignoscitur recentissimum evenisse, immisum nempe ex hoc ipso Vaticanæ authoritatis oraculo per apotheosim pulcherrimam. * Sacra qui socios antestat quatuor dignitate, miratus ille est, quem Adriaci sinus domina Pastorem suum, & quem Scriptorem suum celebrarunt luculenta volumina.

At præcursores illum, quo natos inter mulierum nullus extitit major, illamque Virginem Matrem ac Matronam cui Divos super omnes imperium, sceptrumque divinitus datum est, quo mentis intuitu perlustrare hinc valeam? quibus animosæ locutionis lineamentis exprimere? Rei magnitudini indicandæ opportuniore succedant veneratio, ac silentium: & meminisse unum illud nos juvet, talem esse non Deiparæ modo,

* *Quinque fuerant paulò ante ab Alexandro VIII. in Sanctorum numerum relati, & inter illos est Laurentius Justinianus.*

dò, non modò Joannis, sed omnium
felicitatem, gloriamque sanctorum,
nihil ut de illa cogitari, dicere aptius à
nobis possit, quàm cum cogitamus, aut
dicimus, nihil aptè cogitari de illa,
apte vè dici nil posse.

PROSA DECIMAQUARTA.

*Ptolomæum Collegium à Celso Ptolomæo
Patritio Senensi Senis fundatum.*

ORATIO.



Ama virtutis, & deco-
ra rerum gestarum
æternitas, qua super-
stites immortaliter
vivimus post mortē,
reflorescimus post ci-
neres, & reduces ex
umbra funeris tumulique splendesci-
mus Auditores; reparatio quædam vi-
tæ fugientis fertur esse, occasusque no-
stri quidam dies. Hoc planè bonum
regnare videtur extra aleam detrimen-
torum, quibus alioquin mortalitatem
universam obnoxiam faciunt damno-
sa defluentium horarum momenta :
Quin